

etiãsi probari nequat, nullum præcedens pactum intervenisse, et cassatio sequuta fuerit vigore supplicationis à Papa signatæ, quæ ut subreptitiã obtenta declaratur. Insuper tam resignans, quàm resignatarius ipso facto, et absque alia declaratione privantur beneficio, et declarantur inhabiles ad alia assequenda, sub pœna resignatario restituendi, et quidẽm sub peccato gravi, pecunias pro cassatione hujusmodi pensionis simoniacè perceptas, applicandas arbitrio Ordinarii locis piis vel pauperibus. Irritantur deniquè cessationes seu translationes commodi, aut utilitatis percipiendi fructus pensionum factæ intra sex menses à capta possessione, et etiã ultra aliud temporis spatium, si constiterit hoc pactum præcessisse. Hæ eadem irrationes confirmantur in altera ejusdem Pontif. Constit. *Ecclesiastica* 15. Jun. 1746. "

417. Q. VI. *An Episcopus beneficium resignatum conferre possit consanguineis, vel familiaribus resignantis, vel suis, vel illi, pro quo facta est commendatio, preces, et alia signa, ut esset successor resignantis?*

R. Negativè; et quidẽm sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, ubi observatur cit. Bulla *Piana Quanta*.

Ex decreto Cong. Conc. approbato à Greg. XIII., relat. à Bened. XIV. (*lib. XIII. de Synod. Diac. cap. 24. n. 4.*), neque id potest, licet beneficium resignatum conferendum esset per concursum, ad quem ne admitti quidẽm debent; secus, si beneficium vacaret per obitum, ex declaratione Sixti V. ad Bullam Pianam relata *ibid. n. 5.* Hæc tamẽn prohibitio locum non habet in permutationibus quas Pius admittere permittit Episcopo, dummodò sint sacris canonibus consonæ, nec mala fide et fraudulenter coram ipso fiant, id est in commodum potius permutantium, quàm in Ecclsiæ utilitatem vel necessitatem, ut animadvertitur *cit. cap. n. 10.*

Nec locum habet in resignationibus beneficiorum juris patronatus, ex declaratione dicti Greg. adnotata in libris Cong. Con. ut ex testimonio Cardinal. Hyeron. Matthæi Præfecti relato à Quaranta *verb. Benef. resignation.* "

418. Q. VII. *An renuntians pœnitere possit?*

R. Potest, si necdum licentiam et consensum obtinuit: secus si jam obtinuit (*c. 12. h. t.*), ubi obtenta licentia coguntur Clerici cedere beneficiis; ergò à sensu contrario, si licentia nondum obtenta est, locus erit pœnitentiæ, cum sic non illudatur superiori. Vide Paris.

TITULUS X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM. ^a

419. *Nota*, nomine *Prælatorum* hic venire Superiores jurisdictione ecclesiastica præditos, tam *contentiosa*, quæ exercetur in invitos, ut in judiciis et punitionibus; quàm *voluntaria*, quæ exercetur in volentes, ut ordinatio, beneficiorum collatio, dispensatio etc. Itẽm eos, quibus jus patronatus nominandi aut conferendi beneficia competit. Est autẽm negligentia omissio ejus, quod Prælati de jure aut consuetudine facere tenentur. Hic potissimum agitur de negligentia commissa in provisione beneficiorum et administratione justitiæ.

420. Q. I. *A quibus suppleatur negligentia commissa in provisione beneficiorum?*

R. 1.º Si beneficium collativum seu liberum spectat ad solum Episcopum secluso capitulo, vel ad solum capitulum secluso Episcopo, negligentia ab uno commissa supletur ab altero (*c. 2. de concess. Præb.*); ita ut negligentiam corporis caput seu Episcopus suppleat, et negligentiam capituli suppleant membra seu Canonici. Quæ dispositio specialis est, ut Canonici tanquam inferiores suppleant negligentiam Episcopi, tanquam Superioris; cum aliàs inferior Superiorem corrigere non possit.—Excipe, nisi jus conferendi Episcopo competat titulo speciali, ut ex privilegio, delegatione, vel devolutione: tunc enim negligentiam Episcopi suplet Archiepiscopus, vel alius Superior.

2.º Si beneficium spectat communiter ad Episcopum ut prælatum, et capitulum simul, uno negligente et præmonito, potest collatio fieri ab altero intra semestre; secus, utroque negligente, jus conferendi devolvitur ad Archiepiscopum vel alium Superiorem (*cap. fin. hoc tit. cap. 15 de concess. Præb.*)—Excipit Barbos. in *cit. cap. 15.* casum, quo beneficium spectat ad Episcopum, non ut prælatum, sed ut privatum Canonicum; tunc enim jus conferendi devolvitur ad Episcopum ut prælatum.

3.º Si collator vel præsentator sit persona singularis inferior Episcopo, et statuto tempore non conferat vel præsentet, jus conferendi regulariter devolvitur ad Ordinarium loci; et hoc negligente, gradatim ad Metropolitanum, Primate, Patriarcham et Papam (*Clem. un. h. t.*)

4.º In casu negligentia, beneficia electiva exempta devolvuntur ad Papam; non exempta, si cathedralia sint, ad Archiepiscopum, ex recentiori Constit. *cap. 41. de Elect.* edita in Conc. Lateran. an. 1215., qua corrigitur

^a—De hac materia agitur in Sexto, et Clem. h. t.—In Decreto d. 48. et 86. et c. negligere 2. q. 7.—In Trident. sess. 5. de refor. cap. 1. §. in monasteriis et cap. 2. §. si quæ et sess. 21. cap. 8. sess. 24. cap. 20. §. legatis c. 16. v. et si Ecclesia sess. 25. de regul. c. 8. 14. 22. v. et quia.

ius antiquius editum an. 1210. et relatum in *cap. 12 de concess. Præb.*, ubi provisio Episcopatum negatur devolvi ad Archiepiscopum. Jam, si provisio beneficii per Superiorem facta, quacumque ex causa non subsistat, jus providendi redit ad ordinarios collatores, quia tantum pro hac vice eo jure sunt privati, ut alias dictum (*ex cap. 41. 42. de Elect.*), nisi per appositionem manus papalis beneficium sit affectum; hoc enim ab alio quam Papa conferri nequit. Schmalz. et alii. Circa devolutionem in casu, quo indignus eligitur, vide *tit. de Elect. num. 89.*

121. Q. II. *An capitulum, sede vacante, conferre possit beneficia inferiorum collatorum negligentium ad Episcopum devoluta?*

R. Negativè, *ex cap. 2. ne sed. vacan.*, regula 2.^a cancellariæ, et constit. S. Pii V. *Sanctissimus*, ubi beneficia devoluta reservantur Papæ.

122. Q. III. *An mora per celerem provisionem purgari possit? v. g. si provisio sequatur statim post elapsum tempus à jure statutum?*

R. Negativè. (*Com. ex cap. fin. hoc tit. et cap. 41. de elect.*) Ratio est, quia lapso tempore, potestas statim devolvitur ad Superiorem; ergò ordinarius collator, utpotè destitutus potestate, non potest valide conferre, neque per celerem provisionem jus Superiori quæsitus auferre, nisi is ex benignitate sua consentiat et approbet collationem posterius factam, sicut in *cap. 4. hoc tit.*—His non obstat *cap. fin. de locato*, *cap. 6. de reb. Eccl.*, *cap. 24. de offic. deleg.*, l. 8. ff. *si quis cautionib.*, l. 26. *C. de fidejuss.* Nam tunc mora non purgatur, dum lapso die jus potestatem transfert in alium, vel pœnam apponit (l. 77. ff. *de V. O.*, l. 23 ff. *de O. et A.*, l. 13. *C. de contrahend. stipul.*, l. 2. *C. de jure emph.*)

123. Q. IV. *An jurisdictio Episcopi negligentis, qui subditis non administrat justitiam, causas cognoscendo, absolvendo, condemnando etc. devolvatur ad Archiepiscopum?*

Affirmat Azor, Engl, Konig, et alii; sed cum potioribus:

R. Negativè. (*ex Can. 39. pervenit. 11. q. 1. et cap. 1. h. t. in 6.*) Nam regula generalis est negativa, quòd Archiepiscopus non habeat jurisdictionem in subditos sui suffraganei, exceptis quibusdam articulis seu casibus, à jure expressis (*cap. 11. de offic. Ord.*); sed casus negligentiae ab hac regula non reperitur exceptus; ergò jurisdictio negligentis Episcopi in materia justitiæ non devolvitur ad Archiepiscopum in prima instantia, bene verò in causa appellationis (*cap. 3. pr. de appell. in 6.*) Ceteros casus exceptos enumerat glossa *cit. cap. 11. de offic. Ord.* quos in *d. t.* referemus. Undè aliud remedium adhibendum est, scilicet, recursus ad Archiepiscopum, vel Papam, ut Episcopum compellant ad administrationem sui officii in materia justitiæ et curæ pastoralis.

Dices: Regula affirmativa est, quòd Archiepiscopus, tanquam superior, supleat omnem negligentiam Episcopi tanquam inferioris, nisi specialiter prohibeatur in casibus exceptis, (sicut *cap. 1. h. t. in 6.*), tunc quia rubrica *h. t. de supplenda negligentia*, est generalis affirmativa; tunc quia *cap. 11. de offic. ord.* non procedit in casu negligentiae; sed nullibi ab hac regula excipitur casus negligentiae in materia justitiæ; ergò.—R. N. M. Nam regula ista nullibi in jure traditur, neque illam continet rubrica *h. t.*, cum

careat sensu completo, et dispositivè allegari nequeat: econtrà, regula negativa expressè traditur *cit. c. 11. de off. ord.* atque ita locus est celebrè regulæ: *In materia generaliter prohibitoria, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.* (*Clem. 1. v. porrò de V. S.*) Ex his solvuntur Canones in 9. q. 3. c. 2. et 3. *h. t.*; nam ne jurisdictiones Episcoporum perturbentur, rectè prohibetur Archiepiscopis causas alienorum subditorum cognoscere.

124. Q. V. *Ad quem devolvatur jurisdictio, si Episcopus inhabilis est ad exercendum suum officium?*

R. Cum distinctione: si Episcopus est inhabilis ex culpa, v. g. quia excommunicatus est, recurri debet ad Papam, ut eum absolvat vel alio modo provideat Ecclesiæ (*Can. cuncta 9. q. 3.*); si verò inhabilis est ex alio impedimento, v. g. ob captivitatem, ob iter ad terras longinquas, nisi tunc administratorem constituisset, jurisdictio devolvitur ad capitulum (*c. 3. h. t. in 6.*)—De dando curatore Episcopo insufficienti, et administratore vacanti Ecclesiæ, vide *c. 2. et fin. h. t. in 6.*

125. Q. VI. *An Judex Ecclesiasticus supplere possit negligentiam judicis laici?*

R. Affirmativè, *ex c. 6. 10. et 11. de foro comp.*; ubi in casu, quod judex laicus malitiosè differt terminationem causæ feudalis, adiri potest ecclesiasticus, ut debitum ei finem imponat. Ratio est, quia potestas laica in republica christiana subordinata est spirituali (*c. 6. de M. et O.*), eique ratione peccati et conscientiae subest; ergò si laicus negligat justitiam administrare, ecclesiasticus eum compellere et negligentiam supplere potest: sicut exigente justitia, Papa quandoque principum negligentiam supplere solet. Econtrà, quia potestas ecclesiastica non subjicitur sæculari, laicus negligentiam ecclesiastici supplere nequit. Plura de his Reiff. à n. 45. Barbos. *cit. de constit. n. 7.*

126. Q. VII. *An abbates electi et confirmati, quos Episcopus, ter humiliter requisitus, benedicere renuit, possint exercere officium abbatiale, proprios monachos benedicendo, minores conferendo etc.?*

R. De jure com. affirmativè, ex privilegio Alex. III. (*c. 1. h. t.*) Nam talis negligentia Episcopi et benedictio, suppletur ab ipso jure, cum benedictio abbatum non sit ordinatio vel consecratio; tunc quia abbas sacerdos, licet regulariter non possit suis subditis conferre ordines, nisi sit benedictus ab Episcopo, tamèn eos conferre potest ex privilegio et delegatione juris.—Hinc solvitur *cap. 11. de catat. Can. quoniam n. 69.*—Neque privilegium hoc sustulit Bened. XIII. const. incip. *Commissi*, sed solum abusus sustulit, et observari præcepit formam statutam *cap. 1. h. t.* sub pœna suspensionis ab officio per annum, ipso jure incurrenda. In eadem constitutione declaravit, privilegium suscipiendi hanc benedictionem à quocumque catholico antistite tunc procedere, dum Ordinarius diœcesanus ter humiliter requisitus renuit benedicere. In §. *universos* sub pœna interdicti ab usu Pontificalium per annum vetat, ne Episcopi benedicentes quidquam, licet modicum, etiàm comestibile, recipere audeant ante, vel post benedictionem.